

*sunt in captivitate. Duodecim Prophetarum vaticinia propter parvitatem suam non scripta sunt a singulis prophetis ipsis, sed venit Haggæus, Zacharias, & Malachias, & cognoverunt, quod spiritus S. recesserit, quia fuerunt prophetae posteriores, itaq; confederunt, & scripserunt vaticinia ipsorum. Et conjunxerunt vaticinia parva, & effecerunt librum magnum, ne pereant propter parvitatem suam.*

§. 15.

Vidimus rationes Talmudistarum, propter quas tradiderint, Ezechielis, Danielis, & duodecim minorum prophetarum vaticinia non esse scripta a suis autoribus. Sed nos iis non movemur, ut idem sentiamus. Quod dixerint, Ezechielem & Danielem non scripsisse sua vaticinia, est ex superstitiosa opinione, vaticinia non esse scribenda in captivitate & extra terram Judaicam, quasi haec terra sola privilegium acceperit a Deo, ut in ea scribantur vaticinia. Nonne Moses prophetarum maximus Pentateuchum scripsit extra terram Judaicam? Inepta quoq; & frigida est ratio, propter quam duodecim minorum prophetarum vaticinia non ab ipsis prophetis scripta putarunt. Parvitas libellorum illorum nemini persuadebit, eos non scriptos esse a suis auctoribus. Sed fortasse meliorem Talmudistarum traditionem male interpretatus est commentator. Fortasse Talmudistae loquuntur de revisione, descriptione, & coordinatione libellorum illorum, quae commentator accepit de prima illorum scriptione. Collationem & descriptionem exemplarium, ut & eorum coordinationem Haggæo, Zachariae, & Malachiae facile concedimus, sed quod sancti illi viri primi fuerint, qui illos libellos ex memoria sua conscripserint, nulla probabilitatis specie nobis persuadetur.

Deus,